Fragmentarium

Westmestermane ms 32

in virgine usus defuit generationis humane, quemadmodum in deo patre proprie generationis usum requiris? Certe usus in sexu est, quia sexus in carne est. Ubi ergo caro non est, quemadmodum carnis infirmitatem exigis? Nemo meliorem discutiat. Credere tibi iussum est, et non discutere permissum est. Scriptum est enim: Credidit abraham deo, et reputatum est ei ad iustitiam. Nec solum in generatione filii sermo deficit, sed etiam in operibus dei. Scriptum est enim: Omnia opera eius in fide. Operatio ergo in fide, generatio sine fide? Et discutimus que non videmus, qui iubemur credere magis quam discutere que videmus? Dicit aliquis: Quomodo generatus est filius? Quasi sempiternus, quasi verbum, quasi splendor lucis eterne; quia simul splendor operatur ut nascitur. Apostoli istud exemplum est, non meum. Noli ergo credere quod fuit vel momentum aliquod quo fuerit sine sapientia deus aut sine splendore lux. Noli arriane ex nostris estimare divina, sed divina crede, ubi humana non invenis. Rex gentilis in igne cum tribus pueris hebreis quartum quasi angeli vidit figuram, et quia prestare putabat angelis, dei filium quem non legerat, sed crediderat, iudicavit. Abraham quoque tres vidit, et unum adoravit. Petrus quoque in monte moysen et helyam cum filio dei vidit, nec erravit in natura, nec erravit in gloria. Denique quid facere deberet, non illos sed christum interrogavit. Nam et si tribus parabat obsequium, unius tamen expectabat imperium. Deinde quoniam vel tabernaculorum numerum deferendum tribus simpliciter estimavit, emendatur dei patris auctoritate dicentis: Hic est filius meus dilectissimus, ipsum audite. Id est, quid conservos tuos cum domino sociare tuos? Hic est meus filius. Non moyses filius, non helyas filius, sed hic filius. Sensit emendationem apostolus, procidit in faciem consternatus patris voce et filii claritate, sed elevatur a filio qui iacentes erigere consuevit. Unum videt, solum videt dei filium. Recesserunt enim servuli, ut solus dominus qui solus designabatur filius videretur. Quod ergo sibi voluit illa visio non equalitatem christi servorumque significans, sed mysterium fortasse ut appareret nobis quod lex et prophetie cum evangelio congruentes, sempiternum dei

filium quem annuntiaverant revelaret. Ergo et nos cum audimus ex utero filium, ex corde verbum, dicamus verbum, quia non plasmatus manibus sed ex patre genitus, non artificis opus, sed progenies est parentis. Et ideo qui dixit: Hic est filius meus, non dixit: hic est temporalis, non dixit: hec est creatura mea, hec factura mea, hic servus meus, sed hic filius meus quem videtis in gloria. Hic est deus abraham, deus ysaac, deus iacob, qui apparuit in rubo moysi, de quo moyses ait: Qui est misit me. Non pater in rubo, non pater in heremo, sed filius moysi locutus est. Denique de ipso stephanus dixit: Hic est qui fuit in ecclesia in heremo. Hic est ergo qui legem dedit, ipse qui locutus est moysi dicens: Ego sum deus abraham, deus ysaac, deus iacob. Hic est deus ergo patriarcharum, hic est deus prophetarum. Filium ergo legimus, mens tua prae[illegible] lectionem, edat lingua confessionem. Aufer hinc argumenta, ubi fides queritur. In ipsis gymnasiis suis iam dialectica taceat. Non quero quid loquantur phylosophi, requiro quid faciant. Soli in suis gymnasiis remanserunt. Vide quam fides argumentis preponderet. Illi cotidie a suis consortibus deseruntur, qui copiose disputant; isti cotidie crescunt, qui simpliciter credunt. Non creditur philosophis, creditur piscatoribus. Non creditur dialecticis, creditur publicanis. Illi voluptatibus et deliciis orbem ligarunt, isti ieiuniis et doloribus exuerunt. Plures itaque iam cepit illicere iniuria quam voluptas. Quis distat a gentilibus arrianus? Illi deos appellant dispares sexu, dissimiles potestate; isti trinitatem asserunt differentis divinitatis et dissimilis potestatis. Illi deorum suorum principium asserunt temporale, et isti christum cepisse ex tempore mentiuntur. Nonne ex philosophis omnem impietatis sue traxerunt colorem? Illi tamen quos venerantur amplificant, isti dei filium creaturam asserunt, qui deus est.

Patuit, ut arbitror, . Cap . v .
sancte imperator, [illegible]
[illegible]
[illegible] restat [illegible]
[illegible]
[illegible] In quo nobis [illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]

License: public_domain – Antwerpen, FelixArchief, 2201 # 6, fol. 174v – Ambrosius Mediolanensis, <i>De fide</i>
(https://fragmentarium.ms/view/page/F-uz48/8035/63566)